697. no. 4

DE ECCLESIIS SVBVRBICARIIS,

OBSERVATIO

IACOBI LECHASSERII IVRISCONSVLTI.

ANTEMVRALE SIONIS.

FRANCOFVRTI,

ANNO M. DC. XVIII.

DE ECCLESIIS SVBVRbicariis *obſeruatio.*

DE Eccleſijs ſuburbicariis Ruffini presbyteri Aquileienſis canonẽ ſextum ſynodi Nicenæ recitantis, quænam illæ ſint, & in quib⁹ prouincijs ſitæ, quidam doctrina celebres & clari diſputant. Sed nulla debet de nomine moueri controuerſia, ſi de corporibus prouinciarum conſtare potuerit, & de ſitu & certis terminis illarum. In diuiſione ciuitatũ orbis Romani ab Antonino Pio facta, maximæ ciuitates dicebantur illæ quæ metropoles gentium erãt. At ſy-

nodi Nicenæ tẽporibus non vnius tantum ciuitatis metropolis, ſed plurium ciuitatum metropoleon metropolitan⁹ etiam erat Alexã-drinus epiſcop⁹, antiquo more iam inde ab eccleſia naſcẽte deriuato. Eadem fuit epiſcopi Rom. in hac re cõditio. Quæ fuerint illæ ciuitates, quæ Romanum epiſcopum, metropolitanum agnoſcebant, quærendum eſt. Eccleſia Chriſtiana nata eſt ſub deſcriptione Italiæ in regiones vndecim, quam fecit Auguſtus, & Plinius ex verbis ipſius deſcriptam in literas mandauit. Ex quibus vndecim prouincijs, quinque ſunt circum vrbem Romam, fluuijs, qui naturales ſunt, perpetui & immutabiles terrarum termini cõcluſæ. Hæ ſunt, prima, quar-

ta, in qua Tibur ſitum eſt, quinta, ſexta in qua Otriculum, & ſeptima intra fluuios Tifernum & Silarum ab oriente, Macram & Cruſtumium ab occidente comprehenſæ. Harum quinque regionum eccleſiæ à naſcente eccleſia Chriſtiana non alium metropolitanum quàm epiſcopum Romanum agnouerunt: quarum epiſcopi numero ſeptuaginta vel circiter enumerantur in Notitia quam ex bibliotheca Vaticana ſumptam publicauit Baronius ad annum 1057. numero 24. tomo 11. omnes intra hos terminos cõſtituti, prȩterquam quòd Ariminum oppidum, finis Flaminiæ & Æmiliæ, extra fluuium Cruſtumium, ſed quàm proximè ad ipſum ſitum, in corpus & ius cȩte-

rarum ciuitatum tranſijt. Illarum epiſcopos in concilium conuocabat epiſcopus Romanus: cuiuſmodi concilia, quę tum ſolēnia & frequentia erant, manifeſta & illuſtria faciebat dignitas & authoritas eccleſiæ Romanæ, non tantùm oculis Ruffini presbyteri Aquileienſis, ſed etiã omnis Italiæ, imò & orbis Roman. adeò vt à nemine ignorari potuerint. Eiuſmodi fuit cõcilium Rom. celeberrimum ſub Gelaſio I. habitum can. ſancta Romana eccleſia diſtinct. 15. nam huic canoni præpoſita ſunt hæc verba. *Gelaſius in concilio Romæ habito cum* LXX. *epiſcopis ſcribit dicens*, &c. Progreſſu temporis in ſeptuaginta epiſcoporum concilium pontifices vocauerunt presbyteros titulorum & dia-

conos ſeptem regionum vrbis Romæ: quod docet corpus canonum Romanum in concilijs Romanis ſub Hilario, Fœlice, & Gregorio iuniore habitis. Tādem cùm concilia metropolitana minꝰ frequentarentur, vſu euenit ut ex ſeptuaginta epiſcopis retinerētur in concilio Romano ſoli epiſcopi earum eccleſiarum quę ſunt vrbi tam vicinę vt ferè ad eius cōtinentia pertinere videri poſſint: qui ſimul cum preſbyteris titulorum & diaconis regionarijs vrbis, ſenatũ eccleſię Romanę hodie faciunt. His gradibus Romanum cōcilium epiſcoporum ſeptuaginta mutatum eſt in ſenatum cardinalium illuſtriſſimorum, qui propter potentiam eccleſię principatu terreno

auctę, regibus, principibus, filijs regum, multis iuribus comparantur. Hęc ex ea iuris Romani parte, quę ad ſtatum reipublicę Romanę ſpectauit obſeruata & collecta boni conſulat æquus lector, ſi fortè ſedandis reip. Chriſtianę controuerſiis quandoq; vſui eſſe poſſint.

IACOBVS LESCHASSERIVS
Pariſinus I C.

IN vſu perquam diuturno fuerunt concilia metropolitana ſiue prouincialia in imperio Romano & in regnis ex eius diſſolutione natis. Reges enim cum epiſcopis ſocietate quadam deuincti ecclesias gubernauerunt per capitula ſynodalia & regalia: quod ſingulorum regnorum hiſtoriȩ teſtantur.

Quo temporum decurſu nulli vel homini vel ſocietati Chriſtianȩ venit in mentem inducendæ in eccleſiam Chriſti doctrinæ, quam concilia vocāt, ASSASSINORVM. Imò illam vt nefariam concilia prouincialia, maximè Toletana & Hiſpanica damnarunt, & de rebus ſanguinis tum conſulti pontifices Romani, etiam acerrimi authori-

tatis ſuæ propugnatores, reſponderunt ſanctam dei eccleſiam non habere gladium niſi ſpiritualem quo non occidit, ſed viuificat.

Exorta hac doctrina noſtro ſeculo, & per illam regibus noſtris ſublatis, dolor acerbus & omnium bonorum communis, antehac expreſſit à me libellum Gallico ſermone ſcriptum, cuius titulus eſt: Diſſertatio pro ſecuritate ſtatus & vitæ regum.

Quem quaſi ſub perſona, & ſuppreſſo nomine, (quod ea tempora exigebant) edidi vt potui & vbi licuit. Sed poſteaquàm doctorum improbæ doctrinę ſcelerata pertinacia in id totis viribus incu-

buit vt ex omnium locorum ſcholis prodirent pro ea libri quamplurimi, adeò vt eccleſia catholica, quæ ſe olim mirata eſt Arrianam, fermè ſe hodie videat Aſſaſſinam: placuit viris quibuſdam in dignitate poſitis, vt taciturnitate potiùs ſepeliretur nefanda doctrina quàm ſcriptis confutaretur. Cui ſententiæ nullum inſtitutum magis conneniens mihi viſum eſt, quàm reuocatio in memoriam mortalium, vſus longæui & diuturni conciliorum prouincialium.

Nam in quorumcunque hominum mentibus radices egerit recordatio vſus illorum conciliorum tam vetuſti & tamdiu continuati, illis nunquam ſeſe offeret ſenſus

vllus doctrinæ Aſſaſſinorum, imò ne cogitatio quidem. Tantum abeſt vt neceſſitas aliqua oboriatur rationibus contrarijs euellendi ex eorum ingenijs rationes illas quas recenſent Aſſaſſinorum diſcipuli qui in tribunalibus iudicum interrogantur, vel qui è ſtatu mentis compote in inſaniam & furorem prolapſi carceribus includuntur.

Quare hoc meo inſtituto, ſine vlla mentione doctrinæ nefariæ, ſine vocabulo vllo quod eam in memoriam reuocet, explodetur & eradicabitur ex animis hominum illa verè antichriſtiana doctrina & ſuauiſſimo Chriſti iugo contraria. Ob eam rem ego ſinceræ noſtræ pietatis, & ſalutis regum amans,

obſeruationem hanc ſcripſi, vt ſit tanquam munimentum antemurale Sionis, & machina, arcendæ ab eccleſia Chriſti peſtiferæ doctrinæ, tutiſſima.

Occaſionem ſumpſi ex ijs canonibus Nicænis qui iuſſerunt vt fierent concilia prouincialia ſolennibus & ſtatis temporibus, & qui ſine vocabulis ad geographiam iuris Romani pertinentibus ſatis commodè intelligi non poſſunt. Quod meum inſtitutum, quamuis ſciam doctoribus Aſſaſſinorum & eorum tacitis & apertis fautoribus maximè inuiſum eſſe: tamen omnes, quibuſcumque in locis vitam degunt, verè pios & manſuetos Chriſtianos, ſpero non fore illud improbaturos.